Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Dissertatio Inavgvralis Ivridica De Donatione Remvneratoria Feminae Lvbecensis Solo Cvratoris Consensv Valida

Kilonii: Literis Gottfr. Bartschii, [1760]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn891111212

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn891111212/phys_0001
DFG

K. l – 197 (21.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn891111212/phys_0002
DFG

DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA

DE

DONATIONE REMVNERATORIA FEMINAE LVBECENSIS SOLO CVRATORIS CONSENSV VALIDA

QVAM

AVSPICIIS

CAESAREAE CELSITVDINIS

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

D N. P E T R I

MAGNI DVCIS ET HEREDIS IMPERII RVSSICI

HEREDIS NORVAGIAE SVPREMI DVCIS SLESVICI DVCIS HOLSATIAE STORMARIAE ET DITHMARSIAE COMITIS OLDENBVRGI ET DELMENHORSTI REL.

RECTORIS ET CANCELLARII ACADEMIAE SVAE CHRISTIAN-ALBERTINAE MAGNIFICENTISSIMI

PRAESIDE

VIRO MAGNIFICO ATQVE ILLVSTRI

D. CAROLO FRIDERICO WINKLERO

CONSILIARIO CANCELLARIAE IVRIS ANTECESSORE PRO TEMPORE ACADEMIAE PRORECTORE ET ILLVSTRIS COLLEGII IVRECONSVLTORVM DECANO

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES CAPESSENDI

D. IIII. OCTOBR. A. MDCCLX

H. L. Q. C.

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET

AVCTOR

IOANNES IACOBVS A MELLE

REI CAMERARIAE APVD LVBECENSES

AB EXPEDITIONIBVS

KILONII LITERIS GOTTFR. BARTSCHII ACAD. TYPOGR.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn891111212/phys_0005

DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn891111212/phys_0006
DFG

VIRO. MAGNIFICO
ILLVSTRI. ATQVE. CONSVLTISSIMO
DOMINO
DANIELI. HAECKS
LIBERAE. S. R. I. CIVITATIS. LVBECENSIS
CONSVLI. MERITISSIMO
ET
REI. CAMERARIAE. PRAESIDI. GRAVISSIMO
NEC NON
VIRIS. GENEROSISSIMO. ATQVE
PRAENOBILISSIMO
DOMINO
DITERICO. DE. BARTELS
HEREDITARIO. IN. SCHOENFELD
ET
DOMINO
LVDOVICO. PHILIPPO ROECK
EIVSDEM. REIPVBLICAE. SENATORIBVS. PRVDENTISSIMIS. ET. CAMERARIIS. AMPLISSIMIS
MAECENATIBVS
GENEROSO. SANGVINE. ET. MERITORVM. GLORIA CONSPICVIS
PATRONIS. SVIS. INDVLGENTISSIMIS.

DISSER-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn891111212/phys_0007
DFG

DISSERTATIONEM. HANC. INAVGVRALEM
IN. SIGNVM
PIETATIS. AC. REVERENTIAE
AD
GRATI. ANIMI. ADFECTVM
DECLARANDVM
E T
PRO. FAVORE. HVC. VSQVE. PRAESTITO
PRISCA. QVIDEM. FORMVLA
AT. ET. MENTE. PIA
D. D. D.
CONCEPTISQVE
PRO. EORVM. INCOLVMITATE
SEMPITERNA
PIISSIMIS. VOTIS
BENIVOLENTIAE. EORVM
SE. IN. POSTERVM
COMMENDAT

OBSEQVIOSISSIMVS. CVLTOR
IOANNES. IACOBVS. A. MELLE

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn891111212/phys_0008
DFG

CLARISSIMO
ATQVE DOCTISSIMO CANDIDATO
S. P. D.
PRAESES.

Quamuis propriis Tuis meritis iam fulgeas egregie, quamuis patria Tua, Germaniae illud noſtrae ocellum, atque Hanſeaticarum rerumpublicarum princeps, Tuas virtutes praemiis iam ornarit inſignibus, hiſce tamen alia adhuc addere, illaque ex noſtro ordine quaerere TIBI placuit, eoque fine diſputationem Tuam, in congreſſibus, cum eruditis amicisque aduerſariis publice, ſub meo qualicunque moderamine defendendam ſuſcipis. Dignum hoc eſt opus TE, publico iam, eoque honeſtiſſimo munere, cum laude fungente, qui quo certius noſti, quantum pretium inclytae reipublicae Lubecenſis Proceres, pro ſingulari illa in bonas literas earumque cultores propenſione, eiusmodi diſputationibus inauguralibus praeſertim a ciuibus illorum editis & propugnatis, ſtatuere ſoleant, certe non meliori, ad gratiam,& beniuolentiam eorum TIBI vel comparandam, vel comparatam firmandam, via contendere potuiſſes. Quid itaque certius eſſe poteſt, etiam ex

hoc

hoc laudabili instituto fructus ad TE peruenturos esse quam vberrimos? Eruditio enim virtusque laudes sibi conciliant atque honores amplissimos. Hi TE certissime exspectant, & vehementer gaudeo, me interprete, Ordinem meum TIBI licentiam concedere ad summos quos Diua Themis nostra cultoribus suis largiri solet, capessendos honores. Hos TIBI inprimis faustos atque fortunatos precor. Seruet TE numen optimum, atque quibus hactenus TE tum singulari doctrina, tum probitate eximia, tum ceteris, quae felicem TE reddunt, bonis exornatum esse voluit, iisdem addat haud interruptam succession atque incrementum perpetuum. Ita Amplissima gens Tua & praecipue Parens optimus & meritissimus, ita patria cara, consilio aeque ac vigilantia prudentissimorum Procerum tot egregiis institutis ornata habebit, de quibus gratulari sibi queat, meum vero gaudium maximam accipiet accessionem. Amicitiae Tuae, Candidate dignissime! perennitatem eo certius mihi promitto, quo maiora iam mihi illius exhibuisti testimonia. Vale, vige, flore! scrib. Kil. d. 2. Octobr. anno R. S. MDCCLX.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn891111212/phys_0010
DFG

DISSERTATIO
DE
DONATIONE REMVNERATORIA FEMINAE LVBECENSIS SOLO CVRATORIS CONSENSV ACCEDENTE VALIDA.

§. 1.

SEXVS VTRIVSQVE AEQVALITAS DEFENDITVR.

Non defuerunt olim, nec desunt hodie, qui nescio quo impetu insano correpti, aut odio certo praeternaturali incensi, ingenti conuitiorum cumulo sexum sequiorem, quem pulchriorem, le beau sexe Galli κατ' ἐξοχὴν vocare solent, proscindere audent, eoque ipso, IVSTINIANO monente (a), *quasi naturae accusatores existunt, cur non totos masculos generauit, vt vnde generentur, non fiant.* Omnia, quae in contemtum atque inuidiam amabilis huius sexus dici & in publicum proferri possunt, in vnum quasi congessit CANONHERIVS, qui, iurisprudentia excepta, in reliquis facultatibus, Philosophica nimirum Medica & Theologica Doctoris dignitate Romae quondam fulgebat. Hic enim, *vbicunque*, inquit (b) *mulieres*

sunt, ibidem mala sunt omnia, quoniam mulier homini confusio est, continua solicitudo, indeficiens pugna, quotidianum damnum, adolescentiae naufragium, animal pessimum, aspis insanabilis, humanum mancipium, &, vt ait CHRYSOSTOMVS, *amicitiae inimica, ineffugabilis poena, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, detestabile detrimentum, mali natura, boni colore depicta, malum omni malo peius, siue illa mulier pauper sit, siue facultatem habeat, cooperatrix est malitia sua, si iniuriam patitur, insanit, si honorem accipit, extollitur, si potentis vxor sit, non cessat nocte atque die callidis stimulare sermonibus, blanditur nequiter, & quod vult, rapit violenter* (c). Addi hisce aliquid posse etiam ab ingeniosissimo obtrectatore quouis, equidem valde dubito, interim tamen omnem modum excedere videntur illi, qui vel dimidium tantum rationis mulieribus tribuere (d), vel feminam pro homine occasionato & animali imperfecto venditare voluerunt. PLATO, quem CALLISTRATVS ICtus, Virum summae prudentiae & auctoritatis apud Graecos vocat (e), iam olim dubitauit, vtrum feminae animantium, an rationalium creaturarum classi adnumerari debeant, hincque inter alia naturae beneficia & hoc, quod non femina, sed mas natus fuerit, maximi feciſſe, atque ideo summas naturae gratias retuliſſe, fertur (f); & summum Aristotelem feminas monstra quaedam virilis sexus & naturae, ad optima semper nitentis, deliquia habuisse, ex ipsis eius scriptis, certo certius constat (g). Armeniorum, ferocius de hoc sexu sentientium, errores dum profligat Imperator IVSTINIANVS, aliarum simul gentium mentionem facit, *ita exhonorantium naturam, & femineum iniuriantium genus,*

tamquam

tamquam non a Deo sit factum, nec seruiat natiuitati, sed tamquam vile & exhonorandum & extra omnem competentem honorem (h). Immo eo maleuolorum quorundam iniuria processit, vt homines esse mulieres, satis audacter negarent, *quos non ex humano, sed canino vtero nasci debuisse, ne homo procreatus fuisset a non homine, quod naturae per natiuitatem vniuocam prorsus impossibile*, vehementer quidem, sed iusta ira ductus pronuntiauit IOANNES PASCHIVS (i). Interim non solum, virum sanctum & venerabilem episcopum quendam in Synodo Matisconensi, hominem dici non posse feminam, temere adfirmasse legimus (k), sed etiam famosissimum apud Italos Fanaticum Tostum eandem monstrosam fouisse sententiam, dubio omni caret (l). Et cui ignotum esse potest scriptum illud, si non flammis tamen acerbissima castigatione dignum, quod sub titulo: *Mulier non est homo*, prodiit, cuiusque auctor anonymus, ex peruersa tam dictorum biblicorum, quam legum iuris vtriusque interpretatione plane incongrua, idem dogma insanum adstruere & probare infausto ausu adnisus est (m). Sed quis contra nugas ejusmodi longis refutationibus insurgeret, quas natura ipsa aeque benigna erga feminas, quam erga masculos, satis refellit, immo abhorret, & quae iam dudum optimo iure explosae sunt ab aliis (n), puniri autem dignius non possunt, quam perpetuo sexus sequioris contemtu, illiusque odio aeterno, quod isti calumniatores data opera sibi quaerere & efflagitare quasi videntur. Quamuis ceterum leniori via ii ingrediantur, qui e hominum numero feminas expungere nolunt, sed illos masculis longe esse inferiores, adeoque hos illis maxime anteferendos, tamen nec huic opinioni

 calculum

calculum noſtrum adiicere poſſumus. Diuerſitas ſane vtriusque ſexus, quae in corpore ſe exſerit, nil niſi generationem reſpicit, ad quam aliter maſculi, feminae aliter concurrunt. Haec autem aequalitatem illam iurium & obligationum tollere nequit, quam natura in omnibus hominibus intendit, & quae ad animum potiſſimum ſpectat, quam Deus maſculis dedit atque feminis absque ſexu, ita, vt valde ridiculum foret, ſi quis differentiam ſibi inter animam maſculam atque feminam fingere vellet. Omne itaque quoad mentis facultates ceſſabit diſcrimen, quas eadem ratione in feminis ac in maſculis deprehendimus, nec hi maiorem, quam illae ad has animi vires adquirendas & colendas vel obligationem habent, vel facultatem, ſed vtrisque ad virtutem, doctrinam atque literarum ſtudia patet aditus. Si inveniuntur feminae, quae, donis a natura acceptis ſuperhabitis, viam ad virtutem ſibi praecludunt, rerum diuinarum atque humanarum notitiam parum curant & vitiis variis ſe contaminant, nonne etiam inter noſtri ſexus homines multi ſunt, quorum ingenia ſeruilia non niſi rebus vanis atque inanibus delectantur, qui liberalium artium atque eruditionis omnis pretium ignorant, a virtutis praeceptis aberrant, e contra vitiis ſuis atque criminibus omnia ſocietatis vincula turbant? Quis vero ideo tam iniurius foret, vt has ſingulorum imperfectiones in totius ſexus contumeliam vertere velit, potius

Parcite paucarum diffundere crimen in omnes
Spectetur meritis quaeque puella ſuis.
Ipſa quoque & culta eſt & nomine femina virtus.
Non mirum, populo ſi illa fauet ſuo (o)

Quidquid

Quidquid itaque de imbecillitate sexus sequioris, illius imprudentia, inconstantia, atque ad quaeuis negotia gerenda inhabilitate communiter circumferri solet, id neutiquam tamquam a natura ita ordinatum, putandum, sed omnis vtriusque sexus, si quae datur, differentia, soli educationis institutioni & vsui fere communi tribuenda est, quo masculis solum, adminicula, quae ad artes atque scientias ducunt, mancipantur, eorumque curae negotia ciuilia demandantur, a quibus e contrario feminae prorsus excluduntur & ad rem culinariam, ad fusum aliasque occupationes domesticas, tamquam ad triremes condemnantur, quasque praeterea, vti saeculum fert, nimia circa formositatem & externum corporis habitum cura, vanumque aliorum oculos in se trahendi studium, quo puellae etiam tenerrimae sibi placent, ab omni fere rerum extra se positarum cognitione penitus arcet. (p) Quae omnia, si alia ratione instituerentur, si masculorum vel inuidia vel oscitantia feminis non subriperet quasi media, quae ad culturam ingenii & doctrinam formandam pertinent, sine dubio insignia rei literariae emolumenta a sexu etiam teneriori exspectanda forent, id quod tot praeclara tam superioris, quam nostri aeui exempla feminarum in omni genere studiorum versatissimarum ideoque celeberrimarum, satis superque demonstrant.

(a) L. 4. C. *de lib. praet.*
(b) in *diss. polit. ad Taciti Ann.* L. 1. p. 139. n. 50.
(c) In eadem haeresi fuit LAVRETANVS, quando in *epist. consolat.* 15. amici sui vxorem vocat: *vn animale pazzo, crudele, indomito: vn monstro della nostra specie, ed'un escremento, anzi un niente della natura.* Integram & bene instructam auctorum male

de

feminis sentientium, bibliothecam collegit: TIRAQVELLVS *de LL. connub. & jure maritali.* gloss. 1. Leg. 1. p. 1. no. 60. nec non EVERH. OTTO in diss. *de perpetua femin. tutela.* conf. qui primo nominandus nobis erat Illustr. AYRER *de gynaecocrat. tutel. viduar. illustr.* Sect. 1. §. 4. not. b.

(d) Fecit id VIGLIVS ZVICHEM in *Comment. ad tit. Instit. quib. non est permiss. fac. test. n. 2.*

(e) in L. 2. D. *de nundin.*

(f) LIMNAEVS *in iure publ.* Lib. 2. c. 2. n. 70.

(g) de gen. animal. L. II. c. 3. & L. IIII. c. 2.

(h) *Nou.* 21. pr.

(i) in *gynaeceo docto s. dissert. historico-liter.* von gelehrtem Frauenzimmer §. 3.

(k) Apud *Centuriatores Magdeburg. VI. hist. eccles.* c. 9. p. 621.

(l) vid Illustr. AYRER L. C. §. 1. not. c. vbi simul festiuum, quo TOSTVS a NICOL. RHEDIGERO a STRISA donatus eiusque temeritas tam merito perfricauit, epithalamium legitur huius tenoris:

Iactabas nuper, brutum genus esse puellas,
At nunc it nuptum, Toste, puella tibi.
Proh! facinus dirum & non illo dogmate dignum;
Bestia nupta tibi est, O! Sodomita, caue.
Ni facies, taedam lictor tibi Sponse iugalem
Praeferet, & sic mox tu quoque tostus eris.
At Tu animo sis, Toste, bono; nam bestia cum tu
Sis ipsus, nubit bestia iure tibi.

(m) Communi fere ore pro vero huius libelli auctore habitus fuit qui inter eruditos infelices non vltimum tenuit locum, VALENS ACIDALIVS; cuius vero defensionem laudabili opera suscepit & felici successu peregit Celeberrimus Lycaei, quod *Lignitii* floret, Rector M. IO. CHRIST. LEVSCHNERVS in commentatione amoena pariter atque eleganti *de Valentis Acidalii vita, moribus & scriptis* A. 1757. edita; vbi tamen fatetur, eum impressionem

&

& diuulgationem illius scripti curasse, eoque ipso siniſtrae illi, ac si ex ipsius ingenio ortum traxerit, suspicioni ansam dediſſe. conf. BAYLE *dict. hist. & crit. voc. Acidalius not. G.*

(n) vid. B. SCHELHAFFER *Meditat. de origine ac fonte iuris circa mulieres diuersi §. 6.*

(o) OVIDIVS *de arte amandi* L. III. v. 9. & 23.

(p) Optime haec omnia persequitur auctor adnotationum ad HENR. CORN. AGRIPPAE libellum *de nobilit. & praecell. fem. sex.* c. I. not. a. p. 2. ita scribens: *On doit donc attribuer au malheur d'une education blamable le peu de gout qu'on trouve pour les sciences dans le plus grand nombre des femmes. En effet, notre siecle nous est preuve inconteſtable, que les femmes sont egalement propres aux etudes les plus serieuses, comme les hommes. On en voit plusieurs, qui ne trouvent rien de rebutant dans l'etude des langues, & rien de superieur à leur esprit dans les sciences les plus abstraites. Et méme les femmes ont plus que les hommes de vivacité de delicateſſe & d'agrement dans leur maniere d'etudier & de debiter ce qu'elles savent.* Elegans etiam & masscula sexus sequioris apologia legi meretur apud acutiſſimum PREMONTVALLIVM *dans la Monogamie* P. II. *epitr. 20.* cuius libri versionem e Gallico in noſtrum sermonem debemus erectioris ingenii noſtri temporis feminae, quam magni quondam patris MOSHEMII nomen, & doctiſſimi mariti WINDHEMII fama celebrem, propriae virtutes & interior literarum amoeniorum cognitio celebriorem reddiderunt.

(q) Praeter TIRAQVELLVM *de LL. connubial.* Gloss. I. P. 2. n. 25 sequu. REINHARDVM *in catalogo prudentiae elegant. ad Lipsii Polit.* L. II. c. 3. §. 12. p. 534. & alios, qui de feminis doctis scripſerunt earumque dedere catalogum, vid. summe Venerabilis IO. CHRISTOPH. HEUMANNI *Actor. philoſ. p. XII.* BURCH. GOTTL. STRUVII *introductio ad rem liter.* c. V. §. 15. ibique LILIENTHALIUS *in notis.* Aeternam inter eruditos laudem sibi quaeſiuit praeſtantiſſimi ingenii femina ANNA MARIA SCHURMAN-

NIA, quae in scriptis suis passim quaestionem illam pertractauit: *Num feminae Christianae conueniat studium literarium?* Conf. DOROTHEA CHRISTINA LEPORINA. in der gründlichen Untersuchung der Ursachen, die das weibliche Geschlecht vom Studiren abhalten, darinnen deren Unerheblichkeit gezeiget und wie möglich, nöthig und nützlich es sey, daß dieses Geschlecht der Gelahrheit sich befleisse, umständlich dargelegt wird, Berlin 1742. Londini quoque matrona quaedam nomine SOPHIA de eodem argumento in scripto egit, cui titulus: *Womann not inferior to Man, or a short and modest vindication of the natural Right of the fair sex to a perfect Equality of Power, dignity and Estim with the Men;* & in alio sic inscripto: *Womans superior Excellence ouer Man, or a plain demonstration of Womans natural Right euen to superiority ouer the Man in Head and Heard, prouing their Minds as much more beautifull than the Mens, as their bodies are, and that, had they the same Aduantages of Education, they would excell them as much in sense as they do in Virtue. The Whole interspersed with a Variety of mannish Characters, which some of the most noted Heroes of the present Age had the Goodness to sit for.* Plures hoc argumentum illustrantes auctores vid. apud Illustr. AYRERVM. L. C. §. 2.

§. II.

DE FEMINARVM CONDITIONE SECVNDVM IVS ROMANVM.

Interim tamen non solum consuetudine gentium fere omnium factum est, vt feminae imbecilliores masculis & corporis & mentis viribus haberentur, verum Leges ipsae etiam passim hanc opinionem probare & stabilire videntur. Quamuis enim plerumque iure masculorum & ius feminarum contineatur (a), tamen PAPINIANO teste (b), *in multis iuris articulis deterior est conditio feminarum, quam masculorum*, adeoque in dubio quidem nulla hos inter atque

que illas ſtatuenda eſt differentia, potius vtriusque ſexus par eſt conditio (c): ſed exceptioni ſubiecta eſt haec regula in iis praeſertim negotiis, in quibus praeſtantia ſexus adtenditur, in quibus fauorabilior maſculorum, quam feminarum conditio cenſetur (d). Hinc feminae ſolemnium iuris ciuilis & viris deſtinatorum prorſus ſunt incapaces, ab omnibus officiis ciuilibus remotae (e), pro aliis poſtulare & aliorum defenſionem ſuſcipere nequeunt (f) & vti LIVIUS ex oratione L. VALERII teſtatur (g): non magiſtratus, nec ſacerdotia, nec Thriumphos nec inſignia feminis contingere poſſe: mundities & ornatus & cultus, haec feminarum inſignia eſſe: his gaudere & gloriari. A tutelae quoque munere ideo feminae arcentur, *quia id munus maſculorum eſt, & vltra ſexum femineae infirmitatis officium* (h); potiſſimum vero ob hanc rationem, *quia ferendum non eſt, eundem eſſe tutorem & ſub tutela conſtitui & iterum eſſe curatorem & ſub cura agere, quae certe & nominum & rerum foeda confuſio eſt* (i). Erant nimirum feminae, non tantum impuberes, verum etiam viripotentes & maiorennes, tum ob ſexus infirmitatem, tum ob rerum ciuilium & forenſium imperitiam, in perpetua tutela (k), & Romani, qui nullam rem, ne priuatam quidem agere feminas ſine curatore volebant (l), ineptum eſſe putabant, vt quis alium in eadem poteſtate haberet, cui ipſe ſubiectus eſſet. Ceterum fundamento non caret ſententia eorum, qui rationem harum diſpoſitionum & excluſionis feminarum a publicis muneribus, aliisque negotiis ciuilibus non tam in imbecillitate ſexus quaerendam eſſe volunt, quippe Leges ipſae ad defectum iudicii muliebris hic neutiquam prouocant, ſed illud in feminis quoque adeſſe con-

 cedunt

cedunt (m); quam potius zelotypiam Romanorum hic accusant, cui nimium dediti ex quauis vxorum cum viris alienis consuetudine castitatis iacturam metuebant. Si enim C. Sulpitius Gallus, vxorem, quod eam capite aperto foris versatam cognouerat, sententia admodum acerba dimisit: *Lex tibi meos tantum praefinit oculos, quibus formam tuam approbes. His decoris instrumenta compara, his esto specioſa, horum te certiori crede notitiae: vlterior tui conspectus superuacua irritatione arcessitus in suspicione & crimine subhaereat necesse est* (n): quid mirum, omnes illos occasiones sedulo praecidisse, quibus feminae conspectui virorum se praebere & ad colloquia suauia atque familiaria cum ipsis accedere potuissent, *quum naturalem pudorem non concedere* credebant, *vt mulieres omnibus perperam sese manifestent* (o). Hinc ergo illas ab omni iudiciali agmine separabant, atque ab arbitrio agendo arcebant, vt suae pudicitiae memores forensibus & ciuilibus negotiis abstinerent (p); & hac de caussa marito in rebus vxoris, citra mandatum, cum solemni satisdatione & alia obseruatione intercedendi tribuebant facultatem, *ne feminae persequendae litis obtentu in contumeliam matronalis pudoris irreuerenter irruant & conuentibus virorum vel iudiciis interesse cogantur* (q). Illa autem de fragilitate sexus muliebris illiusque imprudenti agendi ratione praeconcepta opinio variis constitutionibus originem dedit, in fauorem potius feminarum conceptis, dum damna auertere intendunt, quae & astutia & malitia marium ipsis facile parare possent. Decantatum illud Senatusconsulti Velleiani beneficium, quod feminis pro aliis fideiubentibus succurrit, ne ex intercessione sua efficaciter conueniri queant (r), luculentum huius rei praebet

praebet testimonium; & vt aliis vtamur exemplis, quod vxor quoad dotem illatam repetendam, omnibus aliis mariti creditoribus, simplici tantum etsi ratione temporis anteriori hypotheca gaudentibus praeferatur (s); quod ius ignorare mulieribus liceat & multa alia satis testantur, quam soliciti Romani fuerint, ne clandestinis artibus, in quibus inueniendis tam frugiferum est ingenium humanum, deciperentur, cuius tamen rei vberiorem tractationem, quae diligentiam aliorum virorum eruditorum satis egregie iam occupauit (t), lubenter mittimus.

(a) L. 3. §. 1. D. *de negot. gest.* L. 1. L. 112. & L. 195. pr. D. de V. S.
(b) L. 9. D. *de stat. hom.*
(c) L. 11. C. *de liber. praeter.*
(d) vid. KLEINII diss. *de innox. mul. iur. ignor. in praef.*
(e) L. 2. *pr.* D. de R. I. L. 3. §. 3. D. *de mun. & honor.* L. 54. D. *de procur.*
(f) L. 18. C. *de procur.*
(g) *Histor.* L. 34. c. 7.
(h) L. 16. & 18. D. *de tut.* L. 1. C. *Quando mul. tut. off.* conf. a LVDEWIG *differ. iur. Rom. & Germ. in tut. mat. diff.* 1. *not.*
(aa) vbi quinque huius dispositionis rationes e re Romana petitas adduxit.
(i) L. *vlt.* C. *de legit. tut.* HORNIVS in diss. *de praerog. matr. ac auiae in suscip. tut prae ascend. & collat.* §. 2. FRIESIVS in diss. *de tut. & Succ. legit. nexu.* c. 1. §. 12.
(k) Cuius originem, fata atque conditionem eruditissime pertractauit EVERARD OTTO in diss. *de perpet. fem. tut.*
(l) LIVIVS L. C.
(m) L. 1. §. 5. *de postul.* L. 12. §. 2. D. *de iudic.*
(n) VALERIVS MAXIMVS L. VI. c. 1. no. 4. *Dictor. factorumque memorab.*

 (o) L. 14.

(o) L. 14. C. *de contrab. & committ. ſtipul.*
(p) L. vlt. C. *de recept. arbitr.*
(q) L. 21. *C. de procur.* conf. celeb. IOH. TOB. RICHTER *de teſtim. mul. in cod. iur ciu. inual.* §. 5. & B. IENICHEN in comment. *de effic. mul. teſtim. in codic.* §. 12.
(r) L. 2. §. 1. D. ad *SCt. Vellej.*
(s) L. 12. §. 1. C. *qui potior. in pign. Nou.* 97. c. 2. 3. & 4.
(t) Praeter ea, quae GEORG. MELCH. LVDOLPH, HENRICVS HAHNIVS & IO. PAVL. KRESSIVS hac in re praeſtiterunt, vid. inprimis BESOLDVS *de iure mulierum ſingulari.* CARPZOVIVS centuria poſitionum iuridicarum *de iuribus feminarum ſingularibus.* BECKMANN *de priuil. mulier.* PRVCKMANN *de differ. vtriusque ſex.*

§. III.

DE GERMANORVM INSTITVTIS CIRCA FEMINARVM CONDITIONEM.

Maiori honoris cultu, immo ſumma exiſtimatione feminas proſequuti ſunt veteres Germani, aequi virtutum muliebrium, prudentiae atque conſtantiae aeſtimatores, quibus ſexus ſequior ſe ipſis maxime commendabat. Omnia enim belli pericula mulieres intrepide cum maritis ſubibant, incipientis matrimonii auſpiciis admonitae, venire ſe laborum periculorumque ſocias, idem in pace idem in praelio paſſuras, auſurasque (a). Hinc IVLIVS CAESAR de ipſis teſtatur (b): *in bello comitabantur viros & in praelium proficiſcentes milites paſſis crinibus flentes inclamabant, ne ſe in ſeruitutem traderent;* nec TACITO teſte (c) *numerare aut exſugere plagas pauebant, cibosque & hortamina pugnantibus geſtabant, acies inclinatas iam & labantes conſtantia precum & obiectu pectorum & monſtrata cominus captiuitate*

uitate reſtituebant. Quid mirum itaque, ſi in rebus arduis & ad publicam ſalutem ſpectantibus conſilia a mulieribus petierunt iisque ſtatuerunt maximum pretium Germani, qui *ineſſe feminis ſanctum aliquid & prouidum putabant, nec aut conſilia earum aſpernabantur, aut reſponſa negligebant* (d)? Quoniam praeterea caſtitas feminarum haud ambigua, ſed maxime probata & non vti apud mulieres Romanas pudicitiae violatio ex tractatione negotiorum ciuilium ipſis commiſſorum metuenda erat, ad munera publica & ciuilia absque omni neglecti pudoris metu admittebantur, illasque ad certamina forenſia componenda adhibitas fuiſſe, arbitrium in ſe ſuſcepiſſe, iudicis munus egiſſe, & teſtimonium tam in cauſſis criminalibus, quam in ciuilibus, in teſtamentis & codicillis valide perhibuiſſe, iam dudum obſeruatum fuit ab aliis (e). Nihilominus tamen & feminae Germanicae vti Romanae perpetuae tutelae ſubiectae & pro diuerſo ſtatu in mundio vel parentum, vel maritorum, vel aliorum Mundwaldorum ſiue Mundiburdorum fuerunt (f). Et quamuis, quod ad antiquiſſima tempora pertinet, ex Tacito hanc tutelam ſexus cum SCHILTERO monſtrare vix auſim (g), hoc tamen ex IVLIO CAESARE certiſſime conſtat (h), Gallos, quorum inſtituta eadem cum Germanorum moribus fuerunt, vxores in poteſtate ſua atque curatione habuiſſe, & res non minus eſt inter omnes expedita, hanc-ce feminarum tutelam non ſolum diu ſatis apud gentes Germanicas omnes obtinuiſſe (i), verum etiam legibus Germanorum recentioribus eandem fuiſſe ſtabilitam (k), & in illis locis, vbi iuris Romani auctoritas illam non profligauit, nominatim in Saxonia ſuperiori, Pomerania,

nia, Holsatia, Würtenbergiae ducatu, regno Prutenico, Hamburgi, Lubecae, aliisque, hodie adhuc integram, vel temperatam quodammodo supereſſe (l).

(a) TACITVS de *M. G.* c. XVIII.

(b) de B. G. L. I. c. 51.

(c) L. C. c. VII. & VIII.

(d) TACITVS L. C. c. VIII. vid. diſſ. *de l'Eſtime & de la conſideration, que les anciens Germains avoient pour les femmes de leur nation*, quae legitur T. III. de *l'Hiſtoire de l'Academie royale des Inſcriptions & belles lettres p. 498.* ſequu. & B. Dn. de WESTPHALEN in *praef.* T. I. *Monument. rer. Germ.* p. 22. not. *

(e) IENICHEN L. C. §. 8. Perill. *de* SENCKENBERG *Meditationes ius publ. priuat. & hiſtor. concernentes.* Faſcic. 4. medit. X. *de femina teſte in teſtam. Germ.* KRESSIVS in epiſtola diſſertationi habitae ſub eius praeſidio *de iuribus fem. illuſtr. in Germ.* adiecta *de* LVDEWIG *de oblig. mulier.* P. I. differ. 4. n. 34. ſequ.

(f) HEINECCIVS in *elem. iur. Germ.* L. I. §. 132 & 357. vid. IO. IAC. FREY comment. *de Muntmannit.* §. 2.

(g) SCHILTERVS in *exercit. ad Pand.* X. §. 19. de hac tutela interpretatur TACITVM de M. G. c. VIII. qui locus tamen illam ne verbo quidem indicare videtur. vid. Vir noſtro elogio maior Illuſtr. AYRER L. C. c. III. §. 7. not. a.

(h) de B. G. L. VI. c. 18.

(i) vid. EVERARD OTTO diſſ. cit. c. II. §. 1. ſequ. HEINECCIVS in diſſ. de *marito tut. ac. cur. vxor. legit.* c. II. §. 6. & 7. WIBELIVS *de contract. mul.* c. 1. & 2.

(k) B. Dn. de WESTPHALEN *Monument. ined.* T. IIII. p. 1926. 2023. 2033. & 2092. POLAC. in *Syſtem iurispr. civ. Germ. antiq.* L. I. c. 14. §. 3. p. 50.

(l) vid. Illuſtr. ESTOR in der Bürgerlichen Rechts-Gelehrſamkeit der Deutſchen. P. I. c. 723. B. ENGAV in *elem. iur. Germ.* L. I. tit. 27. §. 480.

§. IIII

§. IIII.

DISPOSITIONES IVRIS GERMANICI FEMINIS PARVM FAVORABILES.

Plura facili negotio adferri possent documenta odii illius erga mulieres, quod successu temporis in leges etiam Germanorum irrepsit, quae tamen digito quasi tantum adtingere, pro instituti ratione nobis licet. Siue enim exclusionem feminarum respicias a successione in feuda & bona auita, siue ius Saxonicum euoluas, secundum quod pater matrem in hereditate filii, adgnati cognatos in successione collateralium, excludunt; vidua autem, mortuo marito, dignitatem eius omniaque iura amittit, quae cum ipsa inito matrimonio communicata erant; nepotes ex filia, mortua matre auo non succedunt, nepotes ex filio autem ad ipsius successionem admittuntur, violator vel occisor feminae, ei, eiusue heredibus dimidium solum illius pretii soluere tenetur, quod ab interficiente vel laedente masculum exigitur (a), iura etiam Germanorum cum aequitate naturali hoc parum conuinire, & in mulieres iusto duriora esse, facile concedes. Inprimis naturalis illa libertas, vi cuius quilibet liberrimus rei suae dicitur moderator & arbiter, adeoque illam pro lubitu in alium transferre potest (b), feminis variis modis est ademta, & alienandi facultas iis vel plane denegata, vel vti omnes earum obligationes atque negotia in iudicio ab ipsis pertractanda ad curatoris consensum adstricta, quo deficiente, omnes eiusmodi actiones nullitate laborare dicuntur. Nimis longum foret & ab instituto nostro prorsus alienum, si speciales diuersarum Germaniae regio-

num huc pertinenentes disposítiones enarrare velimus. Sufficiat potius nobis iuris Lubecensis circa sexum amabilem rigorem in iis scrutari, quae argumentum a nobis pertractandum propius concernunt. Ius testamentorum, quae maiores nostri, quamdiu a moribus alienis prudenter abstinebant, plane ignorasse, & nullam nisi liberorum atque proximorum cognatorum successionem paenes ipsos cognitam fuisse, Tacitus loquitur (c), quamprimum institutis Romanis infecti Germani receperunt, feminis aeque ac masculis plerisque in locis competiit (d). Ius Lubecense vero hic etiam plane alia introduxit, dum feminarum testandi potestatem valde restrinxit & non nisi duobus admisit casibus, si nimirum defunctus maritus eam ipsi concessit, vbi de bonis ab illo sibi relictis recte disponit, aut si mulier mercatrix de bonis adquisitis testari velit, adhibito tamen curatoris atque cognatorum consensu (e).

(a) *Spec. sax.* L. 1. Art. 5 & 17. & L. 3. Art. 45. LEYSER *spec.* 93. m. 3.
(b) §. 40. I. *de R. D.* L. 21. C. *mand.*
(c) de M. G. c. XX.
(d) vid. KOPP *de testam. Germanor.* HEINECCIVS *de testam. fact. iur. Germ. arct. lim. circumscripta*, & qui primo nominandus mihi erat Magnificus Academiae huius Procancellarius eiusque verum ornamentum Dn. DORN. in diss. *de testam. fem. Hamburg.* §. 4.
(e) *Ius Lubec.* L. II. *tit.* 1. Art. 14.

§. V.

IVRIS LVBECENSIS DE DONATIONIBVS QVAE A FEMINIS FIVNT DISPSITIO.

Non solum autem hocce ius circa disposítiones vltimarum

marum voluntatum eiusmodi limites mulieribus posuit, verum etiam omnis generis alienationes, contractus omnes, quibus patrimonium imminuere possunt & qui ad translationem dominii in alium, siue directo, siue per consequeutiam tendunt, accedenti scientia & consensu curatorum fiieri debere statuit (a), vt adeo nullum dubium sit, contractum huius naturae a muliere non adhibito curatore celebratum, quum ipsius consensus pro forma & substantiali requisito habeatur, pro ipso iure nullo declarandum esse (b). Donationes mulierum speciatim prouidam legislatorum curam occuparunt, vtque liberalitati feminarum, quae tamen non adeo frequens esse solet, ita vt BALDO miraculi esse videatur, si quid mulier donet (c), obicem ponerent, sequentem in modum statuerunt *in iure Lubecensi Lib. I. tit. 9. Art. 4. Eine Wittfraw kan mit Vorwort ihrer Vormünder ohne ihrer Erben einsprach, vor dem Rahte fahrende Haab und Ingedömbt doniren vnd vorgeben, so fern sie dasselbe erworben hat, Erbgut aber, das kan sie ohne ihrer Erben willen nicht vorgeben, sonsten mag eine iegliche Wittfraw, welche ohne Kinder ist, von ihren Kleidern oder ingedöme, es sey ererbet, oder erworben, vorgeben in ihrem Todtbette, auf sechs vnd dreissig Marck Lübisch, darunter wol, aber nicht darüber. Würde aber eine Fraw mit ihrer Erben oder Vormünder lobe vnd Willen etwas von ihren wohlgewonnenen Gütern vorgeben, solches sol bey Würden vnd Kraefften bleiben.* Triplicem hisce verbis contineri dispositionem, facile adparet. Nimirum 1) vti hoc iure bona hereditaria in via successionis necessario remanere debent, sie müssen beym Erbgang bleiben (d), adeoque sine consensu heredum a nemine alienari possunt (e),

ita idem horum bonorum fauor, eadem ratio, quae illorum diſtractionem ad proximorum heredum conſenſum reſtringit, etiam hic obſtat feminae, quo minus per donationem illorum dominium in alios transferre poſſit, niſi vidua ſit improles, valde aegrota & morti proxima, cui ex veſtimentis ſuis atque ſuppellectili vsque ad pretium 36. Marcarum Lubecenſium donare licet, donata ſiue per hereditatem ad ipſam delata, ſiue per propriam induſtriam adquiſita fuerint. Haec tamen intellegenda tantum eſſe de vidua, non de quauis muliere, lubentiſſime largior, magis tamen per verba ſtatuti ipſa, quae illam ſpeciatim nominant, motus, quam per rationes a STEINIO adlatas (f), quae accurato juris Lubecenſis ſcrutatori ſe probare vix poterunt. Exceptionem nempe hic adeſſe putat a regula in jure patrio fundata, vi cuius bona hereditaria in via ſucceſſionis manere, neque absque heredum conſenſu alienari debent & diſceſſionem ab illo iuris Lubecenſis principio, quod alienatio nulla ab aegroto & tali fieri poſſit, qui virium atque ſenſuum non ſit compos (g). Quum itaque, ita enim laudati auctoris ratiocinium procedit, notum ſit, exceptionem firmare regulam in caſu non excepto, inde prono ſequi alueo concludit, reliquas mulieres omnes regulae ſubeſſe, viduam ſoum huius diſpoſitionis commodum ſentire. Quoniam autem, quod prius adtinet, reſtricta illa bona hereditaria alienandi facultas tam ſecundum principia iuris Germanici communis, quam ſecundum ius Lubecenſe ad immobilia tantum, non vero ad mobilia bona hereditaria pertineat, quae potius iure rerum adquiſitarum cenſentur & liberrimae diſpoſitioni cuiusuis poſſeſſoris relinquuntur (h), viduae vero in le-

ge

ge noſtra poteſtas ſaltem de veſtimentis & ſuppellectile, quae nemo non inter mobilia numerabit, quid donandi conceditur, etiamſi hereditatis iure ad illam peruenerint, exceptionem hic formare legem intuitu viduae ne cogitare quidem amplius licebit. Haud meliori fundamento nititur poſterior a STEINIO adducta ratio. Loquitur textus noſter de vidua aegrota mortifere, *die auff dem Todtbette lieget*, adeoque ſine dubio de donatione mortis cauſſa ab ipſa celebranda, quum donationes ab infirmis, quos mortalitatis cogitatio magis quam alios ad donandum impellere ſolet, factae ſub conditione etiam tacita, ſe ex illo morbo diſceſſuros, & aliis concurrentibus circumſtantiis, ex quibus adparet, donatorem ante mortem ſuam, donationem plene valere non velle, mortis cauſſa praeſumantur (i). Vnde igitur etiam hic diſceſſus ab aliis iuris patrii principiis monſtrari poteſt? Diſpoſitio illa, quod perſona infirma ad alienationem non ſit admittenda, actus inter vivos tantum concernit, non vero teſtamenta aliasque ſpecies vltimarum voluntatum, mediantibus quibus etiam aegroti de ſuo valide diſponere poſſunt (k), id quod ipſe STEINIVS fateri tenetur (l). Sed reuertendum eſt in viam, a qua paullulum digreſſi ſumus, & quae textus noſter continet, propius ponderanda. Permittit nempe 2) viduae donationem bonorum adquiſitorum mobilium cum conſenſu curatoris, non obſtante heredum contradictione coram ſenatu faciendam, hancque licentiam non ſolum ad viduas reſtringendam, ſed ad alias quoque feminas extendendam eſſe, tam paritas rationis in his quoque obuiae, quam verba textus noſtri finalia, quae indiſtincte mulieres nominant, indi-

care videntur (m). Tandem 3) donatio feminae bonorum adquisitorum cum consensu heredum & curatorum facta valida esse debet, etsi, vti videtur, bona immobilia per illam in donatarium transferantur, quum e contrario donatio coram magistratu sine heredum consensu celebrata, secundum dicta antea in casu secundo de bonis tantum mobilibus, *der fahrenden Haab vnd Ingedömb* fieri queat, quippe quae vocabula, bona immobilia, *die liegende Gründe, vnd Erbe*, iure Lubecensi haud comprehendunt.

(a) *Ius Lubec.* L. I. tit. X. Art. 1.
(b) COLERVS p. I. *decis.* 67. n. 21. MEVIVS *ad ius Lubec.* L. C. *n.* 72. sequ.
(c) in L. 16. C. *de donat.*
(d) *Ius Lubec.* L. III. tit. 7. Art. 2.
(e) ibid. L. I. tit. X. *Art. vlt.*
(f) In der gründlichen Abhandlung des Lübischen Rechts. P. II. §. 33.
(g) *Ius Lubec.* L. I. *tit.* X. *Art.* 3.
(h) vid. Illustris reipublicae Lubecensis Syndicus, locupletissimus non iuris patrii solum, sed omnis iuris Germanici promus condus, Dn. DREYER in diss. *de restricta facult. alienandi bona heredit. ad mobil. hered. non pertinente* §. 4. seq.
(i) PECK *de testam. coniug.* L. II. c. 7. n. 1. MEVIVS *ad ius Lubec.* L. I. tit. 9. Art. 4. n. 10 sequu.
(k) *Ius Lubec.* Lib. II. tit. 1. Art. 4.
(l) L. C. §. 29.
(m) L. C. §. 33.

§. VI.

DISPOSITIO IVRIS LVBECENSIS ETIAM AD DONATIONES FEMINARVM REMVNERATORIAS PERTINERE VIDETVR.

Non licet iam prolixius in rationes huius dispositionis inquirere, quamuis forte et in ea fragilitatem sexus sequioris

quioris ante oculos habuerint legislatores, adeoque feminis, quarum consilium saepe contra propria commoda laborare inuenitur (a), prospicere voluerint, ne aliorum ufradibus & illecebris deceptae ex nimia liberalitate damnum sentiant, & ipsae egere teneantur. Potius ad discutiendum, quod tractandum nobis sumsimus argumentum nos accingimus, inquirentes: An haec iuris Lubecensis ordinatio in donationibus etiam remuneratoris mulierum obseruanda sit? Adfirmanda videbitur haec quaestio iis, qui verbis textus nimis tenaciter & mordicus inhaerere student, non adtenta natura negotii, ad quod ille adplicari debet. Verba legis generaliter loquuntur & vocabulum donare, vorgeben, quo legislatores vtuntur, omnes species donationum tam simplices, quam etiam illas, quas remuneratorias vocare solent, complectitur. Quum autem verba generalia generaliter etiam sunt accipienda (b), nec distinguere nobis licet, vbi lex absque distinctione loquitur (c), potius regulae tam diu standum, donec probetur exceptio (d), & omnis loquutio generalis etiam in lege ad omnia extendi debet, quae salua proprietate verborum comprehendi possunt (e), quoniam semper, qui genus dicit, intellegit etiam species sub genere comprehensas (f), quis crederet, legislatores nostros de quadam solummodo donationum specie statuere voluisse, de remuneratoria autem donatione plane non cogitasse? quum potius si ratione huius liberiorem feminis potestatem tribuere constituissent, procul dubio ad resecandas omnium litium occasiones hanc suam voluntatem disertis verbis declarassent. Quod quum omiserunt, mentem ipsis plane alienam

adfingere & extra oleas vagando contra verba ſtatuti quid ſtatuere, nefas omnino videtur, & officio ICti maxime indignum, qui non niſi cum legibus loqui & ſecundum illas iudicium ferre tenetur. Interpretis partes qui in ſe ſuſcipit, ſanae interpretationis regulas numquam negligat. Hae vero requiruut, vt ſtatutum generaliter conceptum generali etiam adplicationi & interpretationi ſubiiciatur. Hinc formalia in omnibus teſtamentis ſecundum ſtatutum quoddam obſeruanda, etiam in teſtamento parentum inter liberos neceſſario adhiberi debent (g), verba ſtatuti de liberis legitime natis quid diſponentia, etiam de legitimatis per ſubſequens matrimonium ſunt intellegenda (h), denique ſi lex quaedam ſtatutaria ciuibus alienationem bonorum immobilium in peregrinos prohibet, hi neque per ſucceſſionem ab inteſtato, neque per teſtamentum eiusmodi bona adquirere poſſunt, ſed ciuibus illa relinquere atque aeſtimationem accipere coguntur (i). Ex quibus exemplis optima ratione concludi videtur, eodem modo ſtatutum de donationibus mulierum in genere diſponens, ad donationes earum remuneratorias, niſi vim illi data opera inferre velimus, non minus trahendum eſſe.

(a) L. 4. C. *de ſponſal.*
(b) L. 1. §. 1. D. *de legat. praeſt.*
(c) L. 8. D. *de Public. in rem act.*
(d) L. 5. D. *de poſtul.*
(e) L. 6. D. *de acceptil.* L. 240. D. *de V. S.* L. 79. D. *de leg. 3.*
(f) Secundum principia logica notiſſima recte ita pronuntiat GAIVS in L. 143. D. *de R. I.*
(g) WERNHER *ſel. obſ. for. Vol. V. P. VIII. obſ. 428.*

(h) MÜL-

(h) MÜLLER ad STRVVII *Synt. iur. ciu. Exercit.* IIII. L. I. tit. 6. §. 51. p. 121. no. 4.

(i) MEVIVS *ad ius Lub.* L. II. tit. 2. Art. 5. n. 57. seq. KLOCK II. *Cons.* 52. 36. CRAVETTA *Consil.* 941. n. 19.

§. VII.

PRAECIPVE OB RATIONEM STATVTI DONATIONES FEMINARVM ETIAM REMVNERATORIAS CONCERNENTEM.

Quodsi verba legis nostrae haud sufficerent, certe tamen ratio illius quae anima statutorum dicitur, firmissimum huic sententiae praesidium adferre videtur, ita vt nec opus hic sit extensione statuti, sed declarandum tantum, quid in illo tacite cautum inuenitur, quum ratio legis eadem cum legis sententia plerumque omnibus videatur (a). Illa autem in praesenti casu, siue vtilitatem respiciat feminarum donantium, siue fauorem illorum, quibus per donationes istas nimis largas pars insignis bonorum subtrahitur, ad quae iure successionis alias vocantur, sane in donis remunerationis nomine factis, non minus, quam in aliis liberalitatibus, ea quam maxime erit consideranda. Immo forte maiori cautione & prudentiori circumspectione in illis opus erit, quam in his, ad quas animi hominum & praesertim mulierum non tam facile abripiuntur, & vti CICERO dicit: nemo praesumitur tantopere esse liberalis, vt numquam esse possit deinceps, vel ita beneficus esse, vt aliorum viuat beneficio, ne contra expressam legis prohibitionem & in illius fraudem, sub remunerationis praetextu illud

 fe-

feminae liceat simpliciter, quod non nisi sub prouida quadam restrictione leges ipsi permiserunt. Frequentissima sunt exempla, vbi in instrumentis donationum, remunerationis bene meritorum, ad colorandam solum donationem propriam mentio iniicitur, vt nimirum impune certa requisita negligi queant, quae in hac iura praescribunt, in remuneratoria autem remittunt; siue etiam in honorem & gratiam donatarii, ne ipsi ab aliis damnanda habendi cupido, & artium illicitarum vsus obiici queat, potius ipse liberalitatem in se collatam, suo iuuandi studio, aliisque officiis donatori praestitis demeruisse videatur. Hoc quum in morem fere generalem abierit, vix tolerandum & omnes paene donationes sub nomine remuneratoriarum circumferantur, iam dudum salutari ratione introductum est, quod generali commemorationi bene meritorum in donatione factae fides non sit habenda, potius illa formula in fraudem magis, quam animo remunerandi serio adiecta praesumatur (b), ne sub colore remunerationis fraus fiat legi a personis ad donandum non idoneis. Cautionis itaque loco, vtque eo securior sit donatarius, pragmatici suadent, vt in specie merita illa recenseantur, quibus ad liberalitatem donator fuit commotus & quidem talia, ad quae praestanda ille non fuit obligatus, a quo prouenerunt (c). Leges ipsae in eo conspirant, quod ex generalibus eiusmodi confessionibus, v. c. **wegen vielfältiger Wohlthaten und geleisteter Dienste, u. d.**, quia valde vagae sunt atque incertae, nec ex illis de quantitate bene meritorum constet, nullum de excessu donationis iudicium formari possit; quod vero non adparet, perinde ac si plane non esset, habeatur (d).

Tan-

Tantum itaque abeſt, ſubitanea eiusmodi & quaſi in folle facta comemmoratione beneficiorum, donatario ius adquiri, petendi id, quod ipſi donatum, vt potius neque in praeiudicium adſerentis, neque tertii alicuius illa allegari queat, ſed vlterior & plenior ſuorum erga donantem meritorum ſpecialium, ab ipſo recte exigi ſoleat probatio (e). Quae quum ita ſint, quum donationes remuneratoriae ad defraudandas leges potiſſimum fingi atque excogitari ſolent, quis animo concipere poteſt, ſtatutum noſtrum, feminarum donationes reſtringens liberrimam illis ſub vano quodam praetextu donandi libertatem reliquiſſe, & viam quaſi aperuiſſe fraudibus, quibus feminae plus quam alii homines obnoxiae eſſe cenſentur, & quibus facillime illaqueari poſſunt ab iis, qui munuscula ſplendida, vel precum, vel blanditiarum, vel ſolicitationum importunarum artificio ex illis extorſerunt, quippe qui eas iisdem artibus eo adigere poterunt, vt periculoſum illud remunerationis figmentum, in quo illi paladium ponere ſtudent, ſcripturae ſuae addant. His omnibus tamen opportuno adhuc tempore larua detrahi poterit, ſi omnes omnino mulierum donationes, quamuis in compenſationem meritorum factae, vel ad conſenſum heredum adſtringantur, vel magiſtratus cognitioni, cuius auctoritas omnem excludit fraudis ſuſpicionem, ſecundum praeſcripta legis ſubiiciantur. Quin hoc fieri plane neceſſario debere, videtur. Quum enim forma & ſolemnitas, quam ſtatutum in certo quodam actu, ratione temporis, loci vel modi praeſcribit, & ad ſubſtantiam actus requirit, exacte ſit obſeruanda (f), nec in negotiis iure ſtatutario certam determinationem formae, aut ſolemnitatis habentibus, ab hac recedi

queat, sed illud tamquam ius loci praecipuum sequendum, nec permittendum, vt ciuis suae ciuitatis iuri aliud his casibus praeferat (g); ex his facile consequitur, feminam Lubecensem praecise ad illa omnia etiam in remuneratoria donatione obseruanda teneri, quae statutum nostrum in omnibus eius donationibus praecipit, hisque neglectis totum actum pro nullo esse habendum.

(a) CORASIVS *de iuris arte* cap. 9. §. 4.
(b) STRYCKII diss. *de benemer.* c. 2. §. 3.
(c) STRYCKIVS in *caut. contract. sect. III.* c. 9. §. 3. LEYSER spec. 436. med. 3.
(d) L. 77. D. *de contrah. emt.* L. 6. pr. & §. 1. D. *de confess.*
(e) STRYCKIVS *de benemer.* L. C. n. 53 seq. BRVNNEMANNVS cons. 1. n. 294 seq.
(f) L. 55. D. *de leg.* 1. L. 1. §. f. D. *de ventr. inspic.*
(g) MEVIVS P. III. dec. 99. n. 5.

§. VIII.

CONTRARIA SENTENTIA DEFENDITVR EX IPSA TEXTVS IVRIS LVBECENSIS RATIONE.

Haec omnia tamen quamuis non sine specie omni dicta, tanti roboris esse nobis haud videntur, vt adsensum nostrum merere queant, quem potius firmissimis rationibus commoti, contrariae sententiae largimur, statuentes, validam esse de iure Lubecensi donationem feminae remuneratoriam, solo curatoris consensu munitam. An recte, iudicent ex iis, quae sequuntur, alii. Pertinet sine dubio, statutum nostrum inter ea, quibus libertas, quam natura cuiuis circa bona sua concessit, feminarum intuitu, valde restringitur.

tur. Eiusmodi autem statuta strictissimae esse interpretationis, constat inter omnes, ita vt quantum fieri possit, libertas illa naturalis maneat in saluo. Variis exemplis, liquidissimis Celeberrimus RICCIVS probauit (a): statutum de certa quadam specie quid disponens, de reliquis speciebus non intellegendum, neque ad eas temere extendendum esse. Sic quando secundum tenorem statuti Mechlinensis Art. XI. moneta aurea hominis ad mortem damnati, sculteto ciuitatis, argentea apparitoribus adiudicatur, si adhuc alia bona adsint, ex quibus creditoribus satisfieri queat; reliqua condemnati bona, gemmae, lapilli pretiosi, margaritae, vasa aurea atque argentea, aurum atque argentum rude sub hac dispositione neutiquam comprehenduntur (b). Si ius detractus ciuitati in certo determinato casu ab heredibus extraneis exigendum concessum, ad omnes indistincte casus extendi nequit (c). Statutum de bonis mobilibus quid ordinans de nominibus actiuis interpretari haud licet (d). Dispositio legis de matre loquens, ad nouercam minus recte adplicatur (e), statutum vxorem post mortem mariti, ad eius hereditatem admittens, a sponsa, quae a maritata longe differt eiusque iuribus frui non potest (f), allegari nequit (g). Sed nec opus est vt in statutis aliarum rerumpublicarum & in legibus municipalibus aliarum ciuitatum praesidium quaeramus, quod ipsum ius Lubecense, & quotidiana circa illius adplicationem experientia nobis vltro offert, seu ex illius potius inductione comparari potest. Facultas nimirum illa, bona hereditaria, per testamenta, donationes mortis caussa, vel alias eiusmodi dispositiones transferendi in alios, hocce iure quam maxime restricta (h), ad alias alienationes horum bono-

rum, quae per actus inter viuos fiunt, non porrigitur. Ad continuam & constantem hac in re praxin Lubecensem tuto prouocare possumus, & casus innumeri facile adferri possent, vbi eiusmodi alienationes partim ab heredibus non impugnatae, partim horum contradictione non obstante, pro validis declaratae fuerunt. Eodem itaque iure, eodem fundamento adfirmare haud dubitamus, statutum nostrum de feminarum donatione vel simplici, vel mortis caussa disponens, ad aliam donationis speciem, nimirum remuneratoriam neutiquam esse extendendum, neque a negata feminis legandi potestate, ad negatam ipsis remuneratorie donandi facultatem argumentum procedere.

(a) in eruditissimo tractatu von Stadtgesetzen oder Statutis L. II. c. II. §. 7. vid. WEHNER. Vol. I. P. I. obs. 475.

(b) CHRISTINAEVS *ad Leges Municip. Mechlinienses* Art. XI, n. I. p. 37 seq.

(c) RICHTER Dec. III. n. 6. p. 29.

(d) CARPZOV. Dec. 102.

(e) WERNHER. L. C. Vol. I. P. II. obs. 475.

(f) L. 38. pr. D. *de rit. nupt.*

(g) CARPZOV. L. II. tit. 4. d. 63. n. 9.

(h) *Ius Lub.* L. I. tit. X. art. 6.

§. VIIII.

EX DONATIONIS REMVNERATORIAE NATVRA.

Singularis ille favor, & peculiares prorsus praeferentiae, quas partim leges ipsae, partim obseruantia fori communis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn891111212/phys_0038
DFG

munis donationi remuneratoriae tribuunt, hoc mirifice confirmant, dispositiones super donatione simplici latas, illam haud tangere regulariter, nisi de voluntate legislatoris aliunde constet. Ita quamuis donatori alias licëat, donationem ob certas causas, v. g. liberorum superuenientiam, seu ingratitudinem donatarii reuocare, haec tamen potestas ei est ademta, qui remunerationis nomine donauit, quare irreuocabilis haec donatio a legibus vocatur (a), & si limitationem quandam addunt, quod etiam hae donationes reuocationi tunc sint obnoxiae, si modum beneficiorum, ob quae erogatae excedant. quilibet tamen videt, hoc in casu illud tantum rescindi, quod simpliciter, sine beneficiorum respectu donatum fuit. Mandatarius porro, qui per simplicem donationem mandantis sui bona diminuere prohibetur, remunerandi tamen caussa donare atque actione mandati ita donatum repetere potest (b). Donationes inter virum atque vxorem, quas leges Romanae, ne concordia pretio conciliari videretur, ac melior in paupertatem incideret, deterior fieret ditior, penitus improbant, permittunt in casu, si reciprocae fuerint seu quod idem est, si in compensationem praecedentium donationum fuerint factae (e). IVSTINIANVS Imperator quidem, insinuationem donationum, quae summam quingentorum solidorum excedunt, iudicialem requirit omnium, sine aliqua distinctione (d), hincque sunt, qui putant, secundum theoriam iuris minimum, remuneratoriam etiam donationem coram actis ferri debere, legitimam summam excedentem, quia remunerando fieri posset profusio aeque inconsulto ac in donatione simplici, ob quam tamen eausssam cognitio iudicis requireretur (e). Sed nihilominus secundum

cundum vniuerſalem Germaniae praxin & communem Doctorum opinionem, remuneratoriae donationes a neceſſitate inſinuandi ſunt exemtae, neque haec ſententia rationibus & auctoritate legum deſtituta videtur. Si enim reuocationem omnem huiusmodi donationes reiiciunt, ſane illam neque ob defectum inſinuationis admittere poſſunt, potius leges ipſae adfirmant, donationes commemorationem beneficiorum continentes meras & communes donationes haud eſſe, ſed inter illas pertinere, quae penitus inſinuationem fieri minime deſiderant, ſed in ſe pleniſſimam habent firmitatem (f). Quum praeterea etiam donationes inter patrem & filium, ſi remuneratoriae ſunt, valeant; quum tutor nonnumquam ad remuneratorie donandum pro pupillo ſuo teneatur (g); quum donatio remuneratoria praeſumatur (h), quamuis regulariter contra donationem ſit praeſumtio; quum denique donationes remuneratoriae in bene de eccleſia merentes factae validae ſint, licet de bonis eccleſiaſticis fuerit donatum (i), nemo non videbit, donationem remuneratoriam toto quod aiunt, caelo a donatione ſimplici differre, a cuius natura prorſus aberrat, hincque impropria etiam donatio recte vocatur, quum e contrario illa verae & abſolutae, merae atque communis nomen a legibus accipiat, quae hoc ipſo haud obſcure indicant, aut plane non, aut non niſi maxima cum reſtrictione ea in remuneratoria donatione obtinere, quae intuitu donationis verae diſpoſuerunt.

(a) L. 94. §. 1. D. *de donat.* L. 1. C. *de revoc. donat.*
(b) L. 6. pr. D. *mandati.*
(c) L. 2. §. 2. D. *de donat. int. vir. & vxor.*

(d) L. 36.

(d) L. 36. §. 3. C. *de donat.*
(e) FACHINEVS L. 3. *Controuerſ.* cap. 82. SCHILTER *Exercit.* ad D. 43. §. 12.
(f) §. 2. I. *de donat.* L. 27 & 34. D. *eod.* VOETIVS *ad tit.* D. *de donat.* §. 17. CARPZOV. P. II. dec. 124. LEYSER ſpec. 435. med. 3. & ſp. 436. med. 1.
(g) L. 12. §. 2. D. de *admininiſtr. & peric. tut.*
(h) arg. L. 12. §. 8. D. *mand.* ad quam vid. BRVNNEMANNVS.
(i) C. 66. c. 12. qu. 2.

§. X.

AEQVITAS NATVRALIS REMVNERATORIAE DONATIONI ADSISTIT.

Sed quorſum haec omnia, forte quis dixerit, & cui bono dapes hae alienae adferuntur? Romana haec ſunt, ex legibus Latii depromta, quae ad ſtatutum noſtrum non pertinent, cuius nec interpretationi inſeruire, nec ipſius generalitati limites ponere poſſunt. Equidem fateor, neutiquam adridere ſententiam eorum, qui propter nimiam, qua in Tribunianum eiusque placita, feruntur reuerentiam, ſtatuta Germanica dubia atque obſcura ex iure Romano exponenda eſſe & declaranda, ſibi perſuadent. Nauſeam mouent ſolemnes illae dictiones, quae incantamenti inſtar proferuntur ab iis, qui omnia iura Germanica, omnes leges domeſticas e patria expellere, & iuris ſui Romani auctoritate cuncta regere ſtudent: Omnia ſtatuta, loquuntur, iuri communi Romanorum aduerſa ſtrictiſſimae eſſe interpretationis & ad vnguem, vti iacent, accipienda; interpretationem in ſtatutis ſemper eſſe capiendam, per quam ius commune quam minime laedatur; ſtatuti verba, vt conueniant iuri communi, etiam impropriari poſſe; ſtatuta ſi manca fuerint in diſpoſitione huius vel alterius argumenti, ſupplen-

da et explicanda esse ex iure Romano, atque huius decisioni subiacere; statuta iuris communis correctoria strictissimam accipere interpretationem; statutum de materia quadam iuris communis cauens omnes limitationes & declarationes ab hocce iure recipere, & quae sunt eius generis alia, a ICtis Italis de huius regni statutis ciuitatum loquentium, mutuata & peruerse plane ad statuta municipalia Germaniae translata (a). Nemo autem vitii eiusdem nos arguere, & interpretationem iuris Lubecensis nos ex iure Romano petiisse, probare poterit. Non enim interpretatur statutum, qui ad casum in illo plane non expressum leges iuris communis adplicat, sed potius illam materiam, de qua statutum vel plane silet, vel ita dubie disponit, vt omnes interpretandi regulae ad verum sensum eruendum non sufficiant, ex hocce iure decidit, quoniam in eo, quod statuto non expresse mutatum, sequimur iuris communis regulas, & statutum corrigens ius commune in casu expresso non censetur id corrigere in casu non expresso, sed hic manet sub dispositione iuris communis (b). Quum itaque ius Lubecense circa donationes remuneratorias nihil statuat, & secundum antea deducta ius statutarium de una specie disponens, ad reliquas species extendi non possit, potius haec sub dispositione iuris communis maneat (c), nihil nobis reliquum est, quam vt ius commune in subsidium vocantes, huic enim operae apud nos destinatum solum est, illius circa remuneratorias donationes versantibus legibus locum relinquamus. Hocque eo meliori iure fieri poterit, & omnibus haec nostra in hac caussa ad ius Romanum provocatio se probabit, quia fauor ille, quem hocce ius donationi remuneratoriae adsignat, in ipsa

etiam

etiam aequitate naturali optimum habeat fundamentum. Haud quidem adstipulari possumus iis, qui liberalitatem in aliquem ob benemerita antecedentia collatam, ex donationum numero penitus expungere volunt, eamque speciem permutationis, vel compensationis potius beneficiorum praestitorum esse, adeoque naturam contractus habere arbitrantur, atque inde concludunt, donationis remuneratoriae implementum, si singularia & insignia praecesserunt merita, actione civili a donatario peti posse (d). Leges enim, quibus hanc opinionem inniti sibi falso persuadent (e), de donatione remuneratoria plane non loquuntur. Haec enim, vti reliquae donationes omnes, quae, vti CVIACIVS definit (f), sunt alienationes, quae liberalitatis caussa fiunt, hac mente, vt nullo casu recipiantur, ex mera liberalitate oritur, quippe praesupponit officia, ad quae quis praestanda non erat obligatus, de quorum compensatione neque cogitauit, qui illa exhibuit, neque postulauit illam, neque postulare potuit. Remuneratoria itaque donatio non est, si princeps ministro, quia officio suo rite & fideliter est functus; herus famulo, quia obsequiose semper in seruitio est versatus; pater filio, quia pietatem debitam numquam neglexit, donat. Omnes enim hae personae de benemeritis gloriari non possunt, sed id quod fecerunt ad debita pertinet, quibus se subtrahere non poterant & quorum executio laudem quidem meretur, sed ad extraordinariam compensationem exigendam, ius nullum producit (g). Leges autem citatae nulla beneficia & merita, sed facta supponunt, & operas mercenarias tales, quales obiectum contractus facio vt des constituere solent & ex quibus actio quaedam ad mercedes

petendas atque honorarium consequendum omnino conceditur, quibuscum donatio remuneratoria in eo conuenit, quod reuocari nequit, non tamen ipsa permutatio esse, sed tantum eius imaginem referre dicitur (h). Deficit insuper in remuneratoria donatione animus contrahendi, deficit consensus de contractu ineundo, deficit denique mutua conuentio de aliquo praestando, quae tamen omnia in quibusuis contractibus, etiam innominatis adesse necessario debent (i). Ex quo fundamento itaque benefactori actio competeret ad remunerationem consequendam? Ipse profecto nomen benefactoris amitteret, & beneficia eius, quae ex pietate & virtutis studio vnice venire debent, inter beneficia vlterius non forent referenda, si ex illis actio, vel condictio certi, vti ex aliis contractibus oriri deberet. Quamuis itaque iure ciuili nullae ad petendas remunerationes proditae sint actiones, quum naturale debitum a donatario inuito exigi non possit, &, vti SENECA ait (k): *nemo beneficia in Kalendario scribit*; hoc tamen certum est, in eiusmodi donationibus ius imperfectum saltem donatario ad exigenda illa, quae remunerationis nomine ipsi sunt promissa, ex parte donantis autem, naturalem quandam ad ea praestanda existere obligationem, quam ipsae leges ciuiles adgnoscunt, dum ad remunerandum, per beneficia alterum naturaliter obligari expresse statuunt (l), quae in iure semper necessitatem quandam, licet non tantam inuoluit, quam si obligatio ciuilis accesserit (m). Hinc ICti doctissimi & ingenii acumine multos alios superantes, hanc obligationem in donationibus remunerandi gratia factis occurrentem, pro obligatione mixta secundum quid habendam esse, adstruere

ſtruere non dubitarunt (n). Quum enim naturalis aequitatis praeſcripta illam adprobant, quippe CICERONE auctore beneficentia, & grata beneficiorum acceptorum recordatione, nihil humanae naturae eſt accomodatius; leges autem ciuiles eandem egregia ratione adiuuant atque confirmant, dum non ſolum retentionem eius concedunt, quod bene merita remunerandi gratia ſolutum eſt (o), & condictionem indebiti ad illud repetendum denegant (p), verum etiam ea, quae remunerandi animo donantur, ad permutationis exemplum comparant (q); non absque ratione & veritatis ſpecie illud ſtatui videtur, quum omnibus conſentientibus obligatio mixta tunc adeſſe dicitur, quando ipſi vtrumque ius & naturale & ciuile vinculum quoddam addidit. Ad minimum haec ſententia meliori fundamento nititur, quam illa LEYSERI opinio, qua ſuum de donationibus neceſſariis figmentum ad donationes etiam remuneratorias adplicare adniſus eſt (r). Si quid videre licet, verbis luſit ICtus alias acutiſſimus, cuius manes merito veneramur & pugnam apertam donatio neceſſaria continet, quod facile ex ipſo catalogo iſtiusmodi, quas excogitauit, neceſſariarum donationum demonſtrari poſſet, quippe qui comprehendit praeſtationes, ad quas vel iure naturali vel ciuili, vel vtroque is a quo proueniunt, eſt obligatus, & vbi in accidentibus tantum, ratione loci, temporis, vel quantitatis plus erogatur, quam ſecundum ſtrictae obligationis rigorem exigi ab ipſo poterat. Qui donat propter nullam aliam cauſſam hoc facit, quam vt liberalitatem & munificentiam exerceat (s), hoc autem non facit, qui iure cogente ſoluit, vel aliquid praeſtat, & ſi ſponte praeſtet,

ſtet, ad quod compelli poterat, non magis tamen liberalitatis gloria ad ipſum pertinebit, quam ad emtorem, qui actione venditi nondum pulſatus, pretium venditori ſoluit.

(a) vid. FREIESLEBEN diſſ. *de interpret. ſtatut. ex iure comm.* §. 3. ſequu.

(b) Idem §. 2. & 16. MEVIVS P. I. dec. 133. n. 8. CHRISTINAEVS *in LL. municip. Mechlin. praelud.* n. 26. p. 6.

(c) Celeberr. RICCIVS L. C. §. 12. n. 1.

(d) BRVNNEMANNVS ad L. 1. C. *de donat.* SCHILTERVS *Exerc. ad D.* 40. §. 17. FRANZKIVS *Reſol.* 1. n. 154.

(e) Prouocant nimirum ad L. 27. D. *de donat.* vbi verba: *non meram donationem eſſe, verum officium magiſtri, quadam mercede remuneratum* ad L. 34. §. 1. eod. vbi *merces eximii laboris* occurrit; ad L. 25. §. 11. D. *de petit. hered. vbi remunerationes acceptae, velut genus quoddam permutationis* dicuntur & ad L. 1. pr. D. *de extraord. cognit.* vbi praeſes prouinciae de mercedibus praeceptorum liberalium artium ius dicere iubetur.

(f) in *Parat. ad Pand. tit. de donat.*

(g) LEYSER ſpec. 436. med. 3.

(h) Idem ſpec. 434. med. X.

(i) L. 1. §. 3. D. *de pact.* L. 15. in f. D. *de praeſcript. verb.*

(k) L. 1. *de benefic.*

(l) L. 25. §. 11. D. *de hered. petit.* L. 54. §. 1. D. *de furt.*

(m) L. 5. §. 16. D. *de agnoſc. lib.*

(n) PINELLVS ad L. 1. C. *de bon. mat.* n. 62. DONELLVS L. XII. c. 2.

(o) L. 13. & ſequu. D. *de cond. indeb.*

(p) L. 26. §. 12. & L. 64. eod.

(q) L. 25. §. 11. D. *de petit. hered.*

(r) LEYSERVS ſpec. 434.

(s) L. 1. pr. D. *de donat.*

§. XI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn891111212/phys_0046
DFG

§. XI.

ARGVMENTVM PRO NOSTRA SENTENTIA EX ANALOGIA IVRIS GERMANICI DESVMTVM.

Iura Germaniae, quae praeterea, ſimplicitate illa veneranda, qua maiores noſtri erant conſpicui maximopere ſe commendant, & in quibus tot inſignia aequitatis naturalis occurrunt veſtigia, etiam hac in re cum illius praeceptis amica quadam ratione conſpirant. Iis enim in locis, in quibus ius illud ſeriori coelibatui odioſum Hageſtolziatus viget, contemnendi illi ſexus ſequioris oſores, qui certum vitae terminum adtigerunt, & dulcem cum ſocia amabili coniunctionem ſemper vitarunt, in fraudem fiſci neque alienare bona ſua, neque teſtamentum condere, neque donare, neque alia ratione patrimonium ſuum imminuere, atque ita principi ius ex ſtatu illorum quaeſitum interuertere poſſunt (a). Hic tamen rigor ad donationes remuneratorias non extenditur, quarum aequitatem potius & ad illas exhibendas obligationem quaſi naturalem optime adgnouerunt, & adprobarunt Leges Germanorum & conſuetudines antiquae. Hinc per Hageſtolziatum Hageſtolziis occaſio non aufertur bene merentibus benefaciendi, modo non ſit fictum beneficium & adfectatum, ſuo tempore fiat, nec differatur vsque ad extremum vitae halitum (b). Omnes, qui vim argumentorum norunt, quae ex analogia iuris ducuntur, & quis illam in quacunque iurisprudentiae parte, & praeſertim in iurisprudentia Germanica priuata vmquam in dubium vocabit (c)? concluſioni, quam inde deducere conamur, pondus haud leue ineſſe, nobiscum ſentient.

Credi-

Credimus, nimirum ſtatutum feminis facultatem donandi vel auferens, vel limitans, ad donationes ſimplices ſolum reſtringendum, non autem ad remuneratorias temene extendendum eſſe, quoniam hae pari fere in caſu liberalitati aliarum perſonarum relinquuutur, quibus donationes ſimplices celebrandi licentia eſt ademta.

(a) KRESSIVS *de iure Hageſtoltziatus* c. IIII. §. 7. & c. VI. §. 7.
(b) Idem cap. VI. §. 9.
(c) vid. KVLPISIVS *de analogia iuris*, in EIVS *Diſſert.-Academ.* p. 1011.

§. XII.

ALIVD EX ORDALIO LVBECENSI.

Denique, ne vllum maneat dubium quod ſententiam noſtram vexare, aut ipſius valori quid detrahere queat, ipſos Lubecenſes eorumque de re noſtra iudicium audiamus, ex quo ius ab ipſis profectum optimam accipit interpretationem, omni alii merito praeferendam (a). Si itaque ſecundum illud donationes feminarum remuneratoriae, illi de ipſarum donationibus promulgatae diſpoſitioni ſubeſſe non debent, nihil nobis amplius metuendum erit ab illis, qui contraria ſententia delectantur. Notum eſt antiquis temporibus, illas ciuitates, quae iure Lubecenſi vtebantur illarumque ſubditos ad curiam ſuperiorem Lubecenſem, den Lübſchen Stapel und Oberhoff, tamquam ad oraculum commune aduolaſſe, & vel adpellando ſententiam, vel in cauſſis dubiis conſilium atque reſponſionem a Lubecenſibus petiiſſe. Eundem etiam morem ſeruauit TVNDERA *Cimbrorum*, quae A. 1243. auſpiciis

Abelis

Abelis ducis Iutiae iustitiam Lubecensem accepit (b). Quum enim de validitate donationis cuiusdam a femina factae, dubium subnasceretur, Tunderensibus, decisionem caussae a Lubecensium prudentia exspectantibus hi A. 1493. Responsum dederunt, nostro argumento egregie inseruiens (c):

> *Wetet leuen Vründe, dat wi vor ene Rechte vinden, hefft de Wedwe Jütte Niels jenige Gave von ereme vorgeven fryes Modes ane Berend Nocke ümme der Overlast und der Boehre* (d) *willen, de he vackeligen ümme ehre gehat hadde, blifft de Gave stede ande vast an Rechte.*

En testimonium luculentissimum, maiores nostros facilitati feminarum in donando quidem repagulum ponere, nequaquam vero ita eas cohibere voluisse, vt cedro dignum illum animi generosi cuiusuis instinctum, quo natura ipsa ad compensanda quodammodo beneficia in nos collata ducimur, supprimere, & legis auctoritate munitae, turpem ingratitudinis notam incurrere deberent.

(a) MEVIVS *ad ius Lubec.* quaest. prael. X. n. 26.

(b) MEIBOMIVS *introd. ad histor. Sax. infer.* p. 81. STRVVIVS *hist. iur.* c. VI. p. 500.

(c) vid. *Ordalium Lubec. ad Tunderenses de A. 1493.* quod inter alia exhibet Codex membranaceus sat antiquus das Ordeel-Buch, continens decisa a curia Lubecensi ad instantiam aliarum ciuitatum lata, cuius publicationem meditari immortalis laudis Virum, DREYERVM nostrum, qui etiam beniuole hancce illius particulam nobiscum communicauit, omnes, qui literis fauent, & eius-

modi laboris pretium iustum statuere sciunt, iuri patrio, nobiscum vehementer gratulabuntur.

(d) Vel ex hoc verbo certissime adparet, de remuneratoria feminae donatione respondentes cogitasse. *Bachre* enim veteribus nil aliud denotat, quam studium, labor, molestia, a voce *baeren*, extollere, portare, unde *bare*, eine Todtenbaare, *Baermutter*, matrix, quae foetum gestat; *Baermann*, portitor: vid. FRENZELIVS in *origin. Sorabicis*: p. 1. WACHTER in *glossar. German.* p. 97. qui, *hodie*, baeren, inquit, *Saxonicae genti, sed inferiori, vnice proprium est, dum apud reliquos Germanos fere exulat, etiamsi lingua superioris Germaniae absque hoc vinculo intelligi non possit.* Verbum hocce in natiuo suo significatur in nostris regionibus adhuc hodie supersesse, abunde testantur loquutiones apud nos satis frequentes: *sick verbören*, durch Heben sich Schaden thun, *vpböhren*, aufheben; & prouerbia non minus familiaria: *Dar is he wol mit vpböhret*, da ist ihm trefflich mit geholfen, scilicet: *dat is de Böhr* (i. e. der Mühe) *wol werth*, item: *wat man nich böhren kann, mutt man liggen laten.* Conf. Vir Incomparabilis RICHEY, carum Camoenis nomen, in *Idiotico Hamburg.* p. 20.

§. XIII.

DONATIONEM REMVNERATORIAM FEMINAE LVBECENSIS SOLO CVRATORIS CONSENSV ADHIBITO VALERE CONCLVDITVR ET PRAEIVDICIO CONFIRMATVR.

Sed non opus est pluribus soli lumen foenerare. Concedimus quidem, fraudem omnem, dolum atque circum-

cumſcriptiones etiam in hiſce donationibus abeſſe debere, ne lucri inſignis captandi ſpe excidat donatarius in praemium deceptionis. Fraudem vero, qui adlegat, eum in finem, vt donatio viribus careat ſuis, probationem merito ſuſcipere tenetur, quia in dubio neque dolus praeſumitur, neque ſimulatio (a). Quodſi itaque donatio remuneratoria a femina facta, neque pro adfectata, neque pro fraudulenta venditari, neque ipſi exceptio deficientium benemeritorum ex parte donatarii obiici poteſt, illam etiam non ſalutatis heredibus, confirmatione etiam iudiciali nec petita, nec impetrata, ſi modo curatoris conſenſus fuerit adhibitus, de iure Lubecenſi omnino valere, recte ſtatuimus. Nec ſine auctoritate, cuius coronidis loco, quum ſcriptio haec extemporalis plura non capiat & plures nos cauſſae feſtinare iubeant, mentio adhuc facienda. Ampliſſimum nempe Senatum Lubecenſem in caſu quo vidua quaedam ingenua, liberis Viri ex ſenatorio ordine, qui ipſi durante viduitate conſiliis ſaluberrimis absque mercede accepta adfuerat, & negotia ipſius curauerat gratis & fideliſſime, hoc intuitu, ducentorum Imperalium ſummam, tabulis deſuper confectis & cum curatore ſubſcriptis donationis titulo adſignauerat, obiectionibus & contradictionibus ab heredibus illius factis ſuperhabitis, A. 1755. ita iudicaſſe, gratioſe accepimus.

Auf suppliciren der verstorbenen Wittwe L** Erben und dagegen von Bernhard V*** und Nicolaus L** tutorio nomine der V*** Kinder eingebrachte Vorstellung, in puncto donationis remuneratoriae, hat E. Hochedler Rath auf vorgängig abgestattete relation ex Actis decretiret: Daß da der Grund der Schenkung in notorietate beruhet, das Gesuch der Supplicanten nicht statt habe, vielmehr dieselben schuldig, die den V*** Kindern von der Defuncta L** geschenckte 600 Mk. an dieselben auszukehren, auch zu verstatten, daß Mit-Supplicatus Bernhard V*** als administrirender L*** Mit-Erbe, solche 600 Mk. für seine Pflegbefohlne in Rechnung an, und aufführen möge.

(a) arg. L. 4. C. *si quis alteri vel sibi.*

TANTVM.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn891111212/phys_0056
DFG

laboris pretium iustum statuere sciunt, iuri patrio, nobis-
vehementer gratulabuntur.

l ex hoc verbo certissime adparet, de remuneratoria femi-
donatione respondentes cogitasse. *Baehre* enim veteribus
liud denotat, quam studium, labor, molestia, a voce *bae-*
, extollere, portare, unde *bare*, eine Todtenbaare, *Baer-*
ter, matrix, quae foetum gestat; *Baermann*, portitor: vid.
NZELIVS in *origin. Sorabicis*: p. I. WACHTER in *glossar.*
man. p. 97. qui, *hodie*, baeren, inquit, *Saxonicae genti, sed*
riori, vnice proprium est, dum apud reliquos Germanos fe-
rxulat, etiamsi lingua superioris Germaniae absque hoc vin-
intelligi non possit. Verbum hocce in natiuo suo significa-
in nostris regionibus adhuc hodie supersesse, abunde testantur
uutiones apud nos satis frequentes: *sick verbören*, durch He-
sich Schaden thun, *vpböhren*, aufheben; & prouerbia non
hus familiaria: *Dar is he wol mit vpböhret*, da ist ihm trefflich
geholfen, scilicet: *dat is de Böhr* (i. e. der Mühe) *wol werth*,
n: *wat man nich böhren kann, mutt man liggen laten.* Conf.
Incomparabilis RICHEY, carum Camoenis nomen, in *Idioti-*
Hamburg. p. 20.

§. XIII.

TIONEM REMVNERATORIAM FEMINAE LVBECENSIS
CVRATORIS CONSENSV ADHIBITO VALERE CON-
CLVDITVR ET PRAEIVDICIO CONFIRMATVR.

ed non opus est pluribus soli lumen foenerare. Con-
us quidem, fraudem omnem, dolum atque cir-
cum-

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 038
Patch Reference numbers on UTT
UB Rostock 05/500
the scale towards document
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn891111212/phys_0057
DFG